

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Lunæ nomen ... Jes. 65. 11. nemo interpretum videtur intellexisse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

vocant, constituant, & inde velint desumendam hujus vocabuli notionem, nos non prolixè inquirimus, qui satis novimus quam multa saepe perperam ab ipsis dicta sint, cum rudera tantum & vestigia priscæ Hebræorum Linguæ supersint. Ut minime solidum sit, quod tam futili fundamento nititur. Sed de his plura in nostro commentario de Re Vestiaria Hebræorum.

VII. Ut circa formam lunularum errarunt interpretes, circa ipsam Lunam non minus lapsi sunt, cuius nomen non adeo tritum nemo videtur intellexisse. Obscurus est apud Jesaiam locus, in quo putidam idolatriam in Judæis contumacibus carpit: *Et vos derelinquentes Dominum, inquit, obliviousentes montis sanctitatis meæ,* Ies. 65. 11.  
העכית לנד מטפַח שלחן והמלאים למני מטפַח parantes mensam τῷ Gad, & implentes libamen τῷ Meni.  
 Deorum sive idolorum nomina esse *Gad* & *Meni* constat inter omnes. At quales fuerint ingens lis est. De *Gad* dicere nihil attinet quam multæ & quam diversæ sint interpretum sententiæ.

K

Vel

## 218 De CALCEIS HEBRÆOR.

Vel τὸ Meni quam variè reddiderunt? Munsterus transfert, *implentes planetis libamen*. Arias Montanus similiter exponit, *implentes Meni (qui impletis planetis) libamen*. Ab horum sententia stant Rabbini, qui stellarum numerum, & quidem septenarium, intelligunt, ut R. David Kimchi docet. Quomodo & Vatablus exponit: *septem planetis paratis libamina*. Oforius, Mercerus, Cornelius à Lapide *fatum* intelligi ajunt. Onkelos *Deos* *fictos* pro *Meni* habet. Vetusta versio Arabica in Bibliotheca Arundeliana apud virum CL. Johannem Seldenum, *miscetis pocula vini mixti*, transtulit. Tremellius vertit: *qui que impletis numeris illis libamen*: quomodo & Belgæ reddiderunt, *dit drank opvullet voor dat getal*. Cum illis faciunt R. Aben Ezra & plurimi Hebræorum, Buxtorfius item & Schindlerus, nisi quod Scindlerus addat intelligere alios numerationis Deum Mercurium. Quæ quidem sententia Forerio placuit. Symmachus, Hieronymi testimonia, legit Minni, hoc est *impletis absque me potionem*, & Vulgatus habet,

Kimchi in  
Rad. & ad  
h. l. Vatab.  
ad h. l.

Seld. de  
Dis. Syr.  
Synt. I.  
cap. I.

Aben Ezra  
ad h. l.  
Buxt. &  
Schindl.  
in Lex.  
Hebr.  
Forer.  
ad h. l.